Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



principe babylonis. Itaq; nabuchodonosor rex misit ad congregandos sa
trapas magistratus et iudices. Duces et tyrannos et prefectos omnesq; prin
cipes regionum: ut conuenirent ad dedicacionem statue quam erexerat nabu
chodonosor rex. Tunc congregati sunt satrape magistratus et iudices. duces et
tyranni et optimates qui erant in potestatibus constituti. Et uniuersi principes
regionum: ut conuenirent ad dedicacionem statue quam erexerat nabuchodo
nosor rex. Et stabant ante conspectum statue quam posuerat nabuchodono
sor rex. Et praeconi clamabat ualenter. Vobis dicitur populis. tribus et linguis.
In hora qua audieritis sonitum tube. et fistule. et cythare. sambuce. et psal
terii. et symphonie. et uniuersi generis musicorum: cadentes adorate statuam
auream quam constituit nabuchodonosor rex. Et quis autem non prostratus ado
rauerit: eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis. Post hec igitur statim
ut audierunt omnes populi sonitum tube fistule. et cythare. sambuce. et psalte
rii. symphonie et omnis generis musicorum: cadentes omnes populi tribus et lingue
adorauerunt statuam auream quam constituerat nabuchodonosor rex. Et tam
quam in ipso tempore. accedentes uiri caldei accusauerunt iudeos: dixeruntq;
nabuchodonosor regi. Tu rex posuisti decretum: ut omnis homo quicumq; audie
rit sonitum tube. fistule. et cythare. sambuce. et psalterii. et symphonie.
et uniuersi generis musicorum. prosternat se et adoret statuam auream: Si quis
autem non prostratus adorauerit. mittatur in fornacem ignis ardentis. Sunt igitur
uiri iudei. quos constituisti super opera regionis babylonie. sydrach. misach.
et abdenago: uiri isti contempserunt decretum tuum. Deos tuos non
colunt: et statuam auream quam erexisti non adorant. Tunc nabuchodonosor
in furore et in ira precepit: ut adducerentur sydrach. misach. et abde
nago. Qui confestim adducti sunt in conspectu regis. Quibus nabuchodono
sor ait. Verene sydrach. misach. et abdenago. deos meos non colitis.
et statuam auream quam constitui non adoratis? Nunc igitur si estis parati quicum
que hora audieritis sonitum tube. fistule. et cythare. sambuce. et psal
terii. et symphonie. omnisq; generis musicorum. prosternite uos: et ado
rate statuam quam feci. Quod si non adorauerintis: eadem hora mittemini in
fornacem ignis ardentis. Et quis est deus qui eripiat uos de manu mea?